



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Præfatio in omnia opera S. Gregorii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74915)



PRÆFATIO

IN QUA DE SANCTO GREGORIO

*ejusque Operibus plurima dicuntur, quæ studiosorum
omnium scire interest.*



DITIONE omnium Operum Sancti Gregorii, quam dudum moliebamur, confecta, paucis ex more præfari oportuit; tum ut nonnulla, quæ in tanto Pontifice eximia sunt, observemus, lectorique notanda ingeramus; tum ut præstiti à nobis officii modum aperiremus, rationes persolveremus, atque, sive librorum ejus, sive priorum editionum aliquam subjungeremus dispositionem, doctis indoctisque, nisi me fallit animus, profuturam. De Auctoris primùm vita pauca, quæ moribus profint, rerumque ejus seriem exhibeant, seligo: quibus insistam, non oratoris explicaturus artem, sed prologi imitaturus breviter.

Infantem Gregorium nescimus; de adulto fatetur ipse l. 3. ep. 2. se inter nobilissimos in quadam de tribus capitulis cautione subscripsisse, dum urbanam gereret præfecturam: gessit autem antequam Monachum indueret, laicus existens. Quæ verò tunc temporis fuerit ea dignitas & potestas, quo animo, qua scientia, quo zelo, quo eventu in ea sit versatus, non tam oculis usurpamus, quàm gravibus conjecturis assequimur. Certè in epistolis, ad Imperatorum leges non rarò provocat, subindeque phrasès occurrunt Juris civilis, quod videretur omnino imbibisse. Hinc de profana scientiâ existimatio. Christianam demonstrant Moralia in Job, quæ statim à conversione altero circiter postquam sæculo renunciavit anno, scribere orsus est. Quibus in Theologia magistris sit usus, quas scholas frequentaverit, scire si aves, lector, accipe. Orabat, Scripturis sacris vacabat, Sanctorum Patrum libros legebat sedulò, Deum loquentem audiebat, cujus est docere hominem scientiam, cathedram habere in cælo, magistrum esse. Isto, mihi crede, magisterio, brevi tutoque compendio ad veritatem pervenitur. De scholis hominum quibus plures magistri præfunt, diceret Augustinus: *Magistros plures tunc fieri existimo, cum diversa atque inter se adversa sentiunt; cum verò idipsum dicunt omnes, & verum dicunt, ab unius veri Magistri magisterio non recedunt: offendunt autem non cum illius multa dicunt, sed cum addunt sua. Sic quippe incidunt ex multiloquio etiam in falsiloquium.* Hæc de disciplina Theologica obiter & moderatè; ne qui aliter affecti sunt, se querantur læsos.

Scientiæ comitem adjungo Gregorii prudentiam, rerumque gerendarum peritiam, non in monasterio quasitam, verùm è Republica in qua adoleverat, ad solitudinem cellæ translata; ex qua non ita multò post

Vita Sancti Gregorii.

Scientiâ.

Aug. de Magistro. & Retract. l. 1. c. 12. In Prefat. Retractionum.

Mores.

Præfatio.

emegeret religiosior, totius Ecclesiæ commodis, Deo volente adspiranteque, servitura.

Omitto quot monasteria suis sumptibus construxerit, quantas opes in pauperum sinum, cum valedixit mundo, effuderit, Evangelici axiomatis memor: *Da pauperibus, & sequere me.*

In Monacho notandum venit, quanto solitudinis desiderio teneretur, quanto studio contraquam nostra fert ætas, regiminis locum averfaretur, subjectionis amans, honorum negligens, ambitionis impatiens, operi Monachorum intentus, contemplationi deditus, quam sibi fuisse ereptam saepe sæpius doluit, questus est, ingemuit.

Legatio
Constantin.

Scilicet cum Pelagius II. è solitudine statim abstraxit, quem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconum crearet, atque Constantinopolim ad Imperatoris aulam, negotia Ecclesiæ gesturum Apocriuarii nomine, delegaret. Justinum nominat Joannes Diaconus; alii veriùs Tiberium. Ne verò Monachi disciplinam relicto monasterio abdicaret, quod postea expressè vetitum est extr. *de stat. Monach. c. 2. & 5. de capell. Monach. c. 3. & 4.* fecit quod ipse l. 6. ep. 27. docet esse faciendum: nonnullos sibi Monachos viæ comites adjungens, quibuscum religiosè conversaretur, loca quidem mutans, non animum. Diceres monasterium ambulans, in quo semotis, quotiescumque poterat, negotiis paulisper conquiesceret, sibi Deoque vacans. Vacantem dico, non otiosum: quippe qui sua Moralia, grande opus, inibi conceperit, ut ex ejus ad sanctum Leandrum epistola discimus. In istud exemplum intueantur Monachi, quibus monasterium carcer est; solitudo, crux; curæ sæculi, delicia; quies, molestia; literarum studium, odium; meditatio, nugæ; Regula, compedes; quibus se quovis prætextu, quavis occasione, quasi indulto privilegio justave præscriptione liberant. Sanctum si Gregorium audimus, nec Monachi, nec Præpositi, nec Abbatis, nec Episcopi, nec Legati honores, munia, negotia, causæ sunt legitimæ, quibus adversum vota præscribant, quæ prius in monasteriis solemniter emisissent: *Vovete & reddite.* Constantinopoli cum esset, resurrectionem carnis asseruit, & Eutychio Patriarchæ sanam doctrinam non vi, non minis, sed sacrarum Scripturarum auctoritate rationibusque persuasit, judice, vel si mavis, arbitro Imperatore Tiberio, ut pluribus idem exponit l. Moral. 14. c. 29. Statum quæstionis, necnon ejus argumenta Theologicis ponderibus expendent eruditi, & quam ob rem dissimulaverit cæpta persequi.

Tiberio è vivis sublato, Romam rediit, ubi monasterio se rursus includens Deo, Ecclesiæ, sibi vixit, non aulicam, non ambitiosam sectatus vitam, sed quietam ac religiosam. Pelagii II. nomine quædam tunc scripsit literas, tentans si quo modo consociatis partibus causâ de tribus capitulis sopiri posset aut extingui.

Electio in
in summ.
Pentist.
cem.

Post Pelagii obitum conspirantibus Cleri populique votis electus qui sedi Apostolicæ præsideret, fugit, latuit, & quantum potuit renisus, tandem annuente Imperatore, Deo volente & quasi cogente, consecratus est. Exemplum istud non urgeo, ne tantam modestiam, quam canones sacri imperarunt, sanctique viri imitati sunt, nostrorum sæculorum dament mores dissimiles. Ejus cum relego epistolas, in quibus de Episcopatus onere loquitur, videor mihi videre gigantem sub aquis gementem ac pæne oppressum. Multis cathedræ blandiuntur, honor adlubescit, dignitas addit animos, potestas ferocitatem inspirat, atque ita ministerium vertitur in libidinem atque dominarum, pessimo exemplo. Sanctus contra Gregorius sollicitudines, curas, inquietudines, vigiliæ, onera pensabat,

Præfatio.

reformidabat, exhorrescebat. Hinc fuga ne capefferet principatum, iuges de imposito querelæ. Accepit tamen, ne Ecclesiæ Romanæ vota frustraretur, ne Deo repugnaret haud obscure vocanti, atque adeo tacita veluti stipulatione cum eo paciscenti de subsidio. Et certè qui curiosis oculis res ejus gestas percurrenit, nec illum gratiæ, nec illi gratiam defuisse testabitur. Docent virtutum exempla quæ protulit.

Placet à Christiana dejectione, humilitatem nostri, elegantius Græci πεινω Humilitas. πενω vocant, incipere, quam substravit cæteris. Eâ se non verbis modo profitebatur servum aliorum, quod hypocritæ facerent; sed nihil de se magnificè sentiens, pari quasi jure agebat cum aliis, nisi forte quos crimen fecisset obnoxios. Scilicet, mi lector, noverat, quàm latè patere debeat Christiana libertas, dicente Scriptura: *Iusto non est lex posita. Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis non timere potestatem, bonum fac, & habebis laudem, &c.* Itaque haud ægrè subditorum se iudicio permittebat, paratus, ut eorum procuraret salutem, ad omnia descendere, quæ nec Deo forent ingrata, nec canonibus inimica. *Non est grande*, inquit *l. 2. Ind. 10. ep. 24. iis nos esse humiles à quibus honoramur, quia & hoc seculares quilibet faciunt; sed illis maximè esse humiles debemus à quibus aliqua patimur.* At inquam ego, tam demissa virtus paucorum est. Plurimi famam venantur vani vanam: alii timeri volunt, & à subditis profundè coli servilibus obsequiis. illi virtutes mentiuntur: hi magnitudinem, potestatem, altitudinem ostentant. Longè aliter Gregorius, cui mundus mendaciumque displicere, cui solitudo virtusque arridere solebat, cui Deus erat omnia. Quid pluribus moror? Principem feminam quæ urbanè se dixerat ejus ancillam, corripuit: Episcopum qui ejus mandata nominarat jussiones, increpuit. An, quæso, probasset titulos dominationis, celsitudinis, amplitudinis, quibus hi gaudent, lenocinantur isti?

Ad misericordiam tam bene præparatum habebat pectus, nullum ut Misericordia. erubesceret, nullum præteriret, nullis sumptibus parceret, ut aliorum levaret miseriam: non eorum tantum qui præfractis importunitatibus extorquent, sed omnium; eorum tamen maximè quos facultate lapsos noverat ac pudentes. In istos usus pecunias Ecclesiarum impendi, res distrahi, fundos alienari volebat, certus ea bona res esse pauperum. Ita Scriptura sacra, ita Concilia, ita Patres sanctissimi semper senserunt priscis temporibus, quando Episcopi vilem supellectilem, mensam ac victum pauperem, juxta Concilii Carthaginensis Canonem habebant: quando juxta sanctum Bonifacium Moguntinum, Episcopi erant aurei, lignei calices.

Dolores quibus per totam fere vitam tentatus est, omitto recensere: Patientia. quàm fuerit eorum patiens ex eo æstimabis; quòd nec cesserit officio, nec ei defuerit, nec ullos odiosè repulerit alloquentes, consulentes, rogantes, voce, scripto. Ampliabat quandoque, negabat nunquam, dare si potuit. Multos reperire est, quos dolor à negotiis avocat, totosque possidet, & quasi concludit circumfusus: & quidem infeliciter, quia jugi doloris meditatione se macerant ipsos & consumunt: non ita Gregorius, sed corporis negligens, aliò mentem intendebat, non immergebatur morbis: atque adeo nec Ecclesiæ curam intermisit unquam, nec scribere vel dictare destitit. Utinam qui firma sunt nec impedita valetudine, tantumdem præstarent operis, animarumque sibi creditarum salutem eadem sollicitudine procurarent: sollicitudinem dico Clericorum, Monachorum, Principum, Nobilium, Plebeiorum, Fidelium, Justorum, Sollicitudo. Lapsorum, Impiorum, Hæreticorum, Schismaticorum, Judæorum, Paganorum.

Præfatio.

rum. Nullus est istorum cuius cura in Episcopum non incumbat. Eapropter Sanctus Gregorius omnibus factus omnia, omnium satagebat quacumque via, quavis arte promovere conversionem, infirmitates curare, scrupulos eximere, scandalis occurrere, corda roborare, virtutes propagare, prudentiam oculare, spem firmare, charitatem fovere, animare, ut cuius vel parum attento in Epistolis fiet obvium. Episcoporum etiam in re tam necessaria incuriam, torporem, tepiditatem non cessabat arguere, castigare, quod in notis non semel observavimus. Nec mirum; operam enim exigebat, quam etiamsi non suaderet præfecturæ ratio, non extorqueret charitas, ipsi tamen canones disertis verbis imperarunt.

Observantia Canonum.

Canonum autem quàm fuerit diligens assertor, protector, vindex, loquuntur passim Epistolæ. Nunc quatuor priora Concilia veneratur, quasi quatuor Evangelia: alibi Episcopos, Diaconos, Defensores monet, ne quid in judiciis adversis canonibus statuatur: si quid accipit iratis Ecclesiæ regulis factum, continuo retractat, & perspecta veritate, aut iudicium præcedens pronuntiat irritum, aut etiam punit iudicem, ut videre est l. 2. Ind. ii. ep. 7. in causa Hadriani Thebarum Episcopi. Itaque disciplinæ Ecclesiasticæ quam non absoluta potestas edixerat, sed communis consensus sanxerat, aut vetus consuetudo præscripserat, fuit usquequaque retinentissimus; nisi quando Ecclesiæ utilitas evidens aut dura necessitas cogebat dispensare, non tam legem figendo novam, vel consuetudinem immutando, quàm interpretando veterem ex æquo & bono, quod jus naturale dicitur & concedit. Exempla sunt publica. Id verò jus dispensationis & œconomiz non sibi quasi dominus arrogabat, sed vi primatus Apostolici à Christo instituti, juxta canones prudenter administrabat asserebatque, sollicitus omnium Ecclesiarum; non Ecclesiarum modò, sed & speciatim singulorum membrorum, ex quibus coalescunt Ecclesiæ.

Inspectio Apostolica.

Siquidem nullus fuit Christianus, qui se absconderet à calore ejus, ab amore subduceret, à cura subtraheret, cuius non invigilaret commodis. Episcopos dico, Clericos, Monachos, Principes, Judices, artifices, mercatores, turbam promiscuam utriusque sexus.

Erga Episcopos.

Episcopos compellans vocabat fratres reverendissimos, dilectissimos, sanctissimos. Honorem illis deferri procurabat à magnatibus; jura eorum tuebatur constantissimè: offendebatur ipse graviter, illi cum lædebantur, ut de Paulo Nepesino patet ep. 1. l. 2. Ind. ii. Atque ut apprimè noverat summam esse in capite, de electionibus Episcoporum summopere laborabat, ut rite canonicè fierent: paucis explico. 1. Consensum exquirebat populi Clerique: ita canones. 2. nolebat quemquam de altera Ecclesia assumi, nisi in proprio Clero nulli essent digni: ita canones. 3. explorabat mores: ita canones. 4. inquirebat in scientiam, non qualemcumque probans, sed sacram deposcens: ita canones. 5. expertos peritosque rerum volebat, non novitios, non neophytos, non à sæculi militia in clericalem recens translatos: ita canones. 6. uno verbo, quoscumque canones respuebant, arcebat, digamos, simoniacos, curiales, &c. De digamis nota insignem locum l. ii. ep. 8. Electos autem Episcopos admonebat officii; consecrationem accelerabat; tum instabat super alligantes manipulos; infirmos consolidabat; contractos ligabat; lapsos aut erigebat aut separabat; egenis necessaria subministrabat; ægrotos solabatur; extorres quibus poterat officiis prosequeretur, ut aut in sedem restitui aut, Romæ secum morari, aut alia in sede cardinari, aut commodè possent sustentari. Quid plura memorem? Erga Episcopos fecit, quod in Pastoralis libro, quod in Homiliis, quod in Moralibus docuit Pastoribus esse faciendum.

Clericos

Præfatio.

Clericos autem non neglexit quasi nullius pretii homunculos, ut quandoque fieri dolemus: sed illorum plurimam rationem habens, de stipendiis, de honoribus, de incardinationibus, de vindictis adversus potentiores sæpe decernebat, lapsos ad pœnitentiam adigebat, non tetri carceris pœdore excrucians, sed intra monasterii septa plerumque concludens. Scilicet tunc in monasteriis vigeat disciplina regularis, hoc est, ad Christianæ vitæ perfectionem, præcisæ sæculi impedimentis, serio totisque viribus anhelabant Monachi: *Pœnitebant, & credebant Evangelio.* Itaque merito tutoque credebantur illis lapsi Clerici, ut in istis officinis palæstrisque virtutum sepositi, peccare desuescerent, scandali occasiones removerent, admissorum veniam multis sudoribus, vigiliis, jejuniis, lacrymis, pœnis redimerent, orationibus extorquerent, vitam renovarent; vno verbo, spe redeundi abscissa, verè pœniterent. Absit ut de monasteriis illorum temporum secus opinemur: certa res est, aut minùs cautè fuissent lapsi ad monasteria relegati.

Quis nescit, quanta fuerit sancti Gregorii circa Monachos diligentia, sive in creandis Abbatibus & sui admonendis officii; sive in reprehendis, si quid negligenter; vel in objurgandis, si quid peccarent; vel in coercendis revocandive Monachis, si quid delirarent; vel in rebus eorum bonisque vindicandis concedendis, augendis; vel in elemosynis largiendis, si quando opus erat: tum in separandis officiis Clericorum ac Monachorum, ne alii in alios incurrerent: tum denique in præscribendis obsequiis, honore, reverentia, debitis Episcopo diœcesis: Quamvis enim sancti Gregorii sæculo creverint apud Italos exemptiones, privilegia adoleverint, ut plerisque videtur; id tamen ex epistolis apparet factum adversus Episcopos duros, injustos, avaros, dominantes, quorum ut superbiam contumaciamque frangeret sanctus Gregorius, eorum circa Monachos circumcidebat potentiam; honore, reverentiaque, necnon jure inspectionis in vitam & mores Monachorum, salvis, integris, illabefactis: quod miror multis non fuisse animadversum. Videant l. 5. ep. 11. l. 7. Ind. 1. ep. 18. & 33. l. 7. Ind. 2. ep. 15. l. 8. ep. 23. l. 9. ep. 67. l. 11. ep. 4.

Erga sæculi Principes quo se gesserit modo, curiosius si lubet investigemus: hinc enim tam desiderata, tam laudabilis, tam necessaria zeli cum prudentia confociatio liquidiùs apparebit. Apage zelotas indiscretos, qui Regnum inter ac Sacerdotium flammam divisionis accendunt, & quasi Deo per quem Reges regnant, velint repugnare, nolunt iis subjici, quos divina providentia præfecit. Itane David cum Saül? Itane cum Christo Cyro Isaias cap. 45. cum pagano Felice Paulus? cum Nerone Apostoli? cum persecutoribus præsci Christiani? Legant Apologistas puriorum temporum, Justinum, Athenagoram, Tertullianum, Arnobium, Minutium, &c. Scrutentur monumenta veterum qui pati noverant, oderant rebellare. Audiant Christi de Pilato iudicium: *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Nempe Ecclesia, in republica est; at Principibus incumbit rempublicam gerere. Missi sunt Apostoli quasi oves inter lupos, de regno Dei tractaturi, non armis carnalibus aut seditionibus, sed verbo Dei, patientia, mansuetudine pugnaturos. Ita persuasus Gregorius, Mauricii Imperium patienter tulit, colla submittens, si quando legibus aut jussionibus incommodabat Ecclesiæ. Phocam interfectorem Mauricii laudavit: Brunehildem etiam quam tantopere culpant Historici, non semel prædicavit. Non quòd personas acciperet, aut faveret vitis homo sanctissimus, sed ut aut leones cicu-

Præfatio.

zaret demulcendo, aut titulos usitatos illis concederet: quod fecerat Augustinus Episcopum Donatistam vocans sanctissimum, quæ tunc solemnitas erat Episcoporum appellatio; aut denique tales eos prædicans quales esse debuissent. Quæ si studiosè libretur, videtur esse oratoria, subtilis & admodum ingeniosa paranesis, usu quotidiano trita. Et verò probant Epistolæ, qua prudentia cum Principibus egerit ne nocerent, quo zelo ut prodesse suis, Ecclesiæ providerent, suæ salutis consulere. Utrumque novit præstare vera charitas, nescit cupiditas, aut negligens boni publici, aut sibi timens plus quàm par est, aut sibi intus canens, aut impotens servare modum. Id observatum volui, ne de factis, de dictis, de scriptis sancti Gregorii temere judicent qui aliter fuerint affecti: siquidem ultra corticem penetrare opus est, res rerumque momenta & appendices pervidere, consilia rimari, antequam arbitremur. Qui fecus faxint, temerariis censoribus adnumero.

Scripta.

De scriptis sancti Gregorii quæ morbis prementibus, curisque distrahentibus non cessavit elucubrare, jam nonnulla dicenda sunt. Ac primum qua de causa scripserit, non enim ut plerique factitant, quaritabat scribendi materiam, non aliorum labores suffurabatur interpolando, non famam auctoris aucupabatur, non ambitioni scribendo serviebat, averfatus nescio quam indomitam propagandi nominis libidinem, ut ait sanctus Augustinus de vit. cred. c. 14. cum ad hunc stylum pio & officioso animo, non vani nominis appetitione ac nugatoriæ ostentationis accederent, ex eod. August. ibid. c. 1. Sanctis quippe viris in more erat positum, sibi Deoque vacare in silentio, nisi charitas, nisi justitia loqui compelleret aut scribere. Dixisse sufficiat, prænotarunt alii, probaruntque. Librum itaque Moralium in Job impetrarunt sanctus Leander virique religiosi quibuscum Constantinopoli convivebat. Pastoralem concinnavit à Joanne Ravennate reprehensus quòd episcopari declinasset. Dialogos votis domesticorum dedit, l. 2. Ind. 11. ep. 50. Homilias habuit aut dictavit, ut debitum filiis panem frangeret. Epistolas expressit obsequium erga amicos, cura subditorum, sollicitudo de omnibus. Hinc statim è manibus ejus quæ scripserat, evolabant: Moralia in Hispaniam ad sanctum Leandrum, Antiochiam ad sanctum Anastasium: Pastorale ad eundem Anastasium, à quo in Græcam linguam transfusum est Græcis Episcopis legendum: sic Dialogi à Romanis ad Græcos vertente Zacharia Papa Romano pervenerunt: Homiliæ plurimorum factæ sunt communes, ipso vivente Gregorio.

S. Augustini scriptor.

Quoniam verò pauci sunt auctores, qui non alium sibi proponant viam ducem, doctrinæ magistrum, cujus sententias imbibant, cujusque vestigiis pressius inhæreant; operæ pretium fuerit advertere sanctum Gregorium plurimam ex sancto August. fuisse mutuatum, quasi patronum eum delegisset magistrumque cum in Moralibus, tum in principiis theoreticis. Norunt, utriusque scripta qui perlegerunt paulò attentius contuleruntque: fidem ego aliis abundanter fecero, si præcipua quædam capita proferens, ostendero convenire. In Moralibus uterque gratiam agnoscit potentissimam, quod in notis non semel observatum: uterque charitatis vim necessitatemque commendat: uterque cupiditatis virus educit, regnum ejus destruendum docet, arma subministrat, quibus vincatur: uterque virtutes, uterque vitia iisdem pæne sententiis figurat describitque: uterque miserrimam corruptæ naturæ conditionem, infirmitatem, cæcitatem suis coloribus depingit, reparationisque modum, remedia, medicinas, antidota eadem uterque repræsentat; in eo tantùm dissimiles,

Præfatio.

quòd quæ principia ex sacris Scripturis educta sanctus Augustinus digeferat, illustrarat, asseruerat universè, eadem sanctus Gregorius ad particularia quæque subtiliter descendens speciatim consideret, applicet, accommodet; connexiones, conditiones, accidentia rerum actionumque versans, pensans, æstimans; quod in quotidianis morum quæstionibus dissolvendis præcipuæ cuiusdam utilitatis est. De Moralibus iterum infra: nunc alia percurramus. Uterque docet Deum esse ipsammet veritatem æternam, quæ mentibus nostris illabitur; quæ docet hominem scientiam; quæ testimonio interiori convincit miris sed veris modis; quæ nec mutatur, nec verò mutari potest, quocumque in contrariam partem hominum consensu factioneve. Communes notiones vocarunt Philosophi; alii prima juris naturalis principia, veritates incommutabiles in nobis congenitas. Uterque docet angelos ante lapsum fuisse beatos. August. l. de corrept. & grat. c. 10. Gregor. Moral. lib. 2. c. 2. Consentit Bernardus utriusque discipulus in Cantic. ferm. 74. Uterque docet Adamum vidisse Deum antequam laberetur. August. de corrept. & grat. c. 10. & in Psal. 70. Greg. l. 11. Moral. c. 21. & l. 27. c. 24. Accedit Bernardus in vigilia Nativitatis ferm. 3. Uterque sentit Deum animæ quandoque loqui per seipsum, per substantiam, nullo intermedio corpore aut phantasmate. August. de moribus Eccl. c. 21. l. 1. de peccat. mer. & rem. c. 36. l. 4. de Trinit. c. 18. l. 15. c. 9. tract. 15. in Joan. De vera relig. c. 20. Gregor. l. 5. Moral. c. 25. l. 23. c. 13. Accedit Bernardus l. 5. de Consider. c. 1. Uterque convenit de modo visionis Dei post hanc vitam. August. l. 9. de Civit. Dei c. 22. & 43. l. 2. c. 22. Gregorius l. 2. Moral. c. 2. l. 12. c. 17. Ita Bernardus in ferm. de triplici genere bonorum. Uterque vult malas voluntates à Deo ordinari, non creari, non adjuvari. August. de spirit. & lit. c. 31. l. 3. de Genes. ad lit. c. 23. l. de prædestin. Sanct. c. 16. & in Psal. 7. Greg. l. 2. Moral. c. 6. ubi distinguit à voluntate potestatem, innuens aversionem à Deo, in qua ratio peccati consistit, non esse quid positivum præter esse animæ, quæ se avertit. Consentit Bernardus l. de gratia & libero arb. c. 6. n. 16. & 18. Uterque docet Christum carnem factum, quia Adam ex spiritali carnalis factus fuerat peccando. Cesso comparisonem istam pluribus persequi, ne longius abeam ab instituto, aut novitiis Theologis qui alia sectari videntur placita, sim gravis. Nunc de libris singulis quæ dicenda sunt, exequamur.

Totum opus in tres tomos propter commoditatem studiosorum distinximus. Tomus primus complectitur Moralia, Pastorale, Homilias in Ezechielem & in Evangelia.

Divisio totius operis.

Liber Moralium primus est ordine, scriptione, dignitate. Constantinopoli dum Diaconum Sedis Apostolicæ ageret, conceptus est; crevit de die in diem, novisque subinde mutationibus accessionibusque per totam fere sancti Gregorii vitam locupletatus est. Ita conciliari oportet multa quæ aliàs forent infociabilia. In conceptu informis, nascendo formam homiliarum induit, adolescendo in libros & capita distinctus est. His inferra plurima pro tempore vel à sancto Gregorio dum vivebat, vel ab amicis aut librariis. Porro libri argumentum totum est morale. Promptuarium dicerem, ex quo decisiones casuum, ut vocant, conscientia tunc desumi proferrique possent, nisi consuetudo multorum annorum auctorumque suis veritatem præjudiciis obscuraret, vinceretque. Quis, amabo vos, Casuistarum liber virtutes Christianas in species, membra, partes tam ingeniosè dispertit? Quis motus, quibus à virtute aut deridente aut sensim sine sensu disceditur, tam accuratè describit? Quis

Moralia in Job.

Præfatio.

eorum differentias tam acutè persequitur? Non quidem infanda obscenis verbis denudans impudenti diligentia; sed cordis humani fabricas, machinas, nervos, fibrasque singulas ob oculos mentis ponens; latebras, flexus, sinus recessusque interiores scrutans, cupiditatisque copias, artesque omnes educens, non docendo, sed damnando. Etenim haud mora medicinam facit, curationem adhibet, antidota præscribit, rationesque docet, quibus morbi expugnari, sanitas queat reparari. O vtinam curatores animarum aliique moralis disciplinæ Doctores, iudices, arbitri, Doctorem tam eximium legerent, consulerent! Nempe auctorem non profanis novitatibus deditum, non vanis commentis insipidum, non sophisticis distinctionibus ridiculum, non temerariis decisionibus periculofum, non erroribus nocuum; sed universitatis, antiquitatis, consensionis auctoritate probatum. Dicerem probabilem magistrum, nisi vox ista minùs in eo sensu Latina, quæ priscis tamen Patribus, Conciliisque placuit, nostro sæculo facta fuisset ominosa. Restat una de Moralibus S. Gregorii objectio diluenda. Aiunt nempe loca Scripturæ sanctæ multoties imbi in alienos vsus detorqueri, legitimoque sensui literali vim quamdam afferri ab auctore nostro. At norunt omnes, non literam modò, sed & spiritum consulendum, multasque veritates à Spiritu sancto intentas à diversis Patribus diversis modis erui, prout lumen interius suggererit. Id ergo nobis præcipuè pervidendum, num istis interpretationibus quidquam tentetur contrarium Ecclesiæ definitionibus, Patrum consensui, an cupiditatis ista explicatione, an charitatis regnum propagetur. Legendus ipse S. Gregorius causam suam dicens l. 2. Ind. ii. ep. 63. *In intellectu sacra Scriptura respici non debet, quidquid sanæ fidei non resistit.*

*Filescus in
Commonit.
1. Vinc. Li-
rin. c. 4.*

Pastorale.

Secundus ordine liber est Pastoralis, quem pleraque Galliæ Concilia legendum Pastoribus offerunt, cuius monitis insistere suadent, regulas exequi præcipiunt. Indico Moguntiacensis an. 813. Præfationem: Turonensis III. canonem 3. eodem anno: Cabilonensis II. can. 1. qui sic habet: *Librum beati Gregorii Papæ de cura Pastoralis, & secundum formam ibidem constitutam & vivant & prædicent*; Concil. Aquisgran. II. an. 836. can. 4. Porro jam præmonuimus qua motus occasione illum composuerit; ut nempe reprehensioni Joannis Ravennatis occurreret, doceretque quantum esset pondus officii Pastoralis, quàm agrè inviteque suscipiendum, non modò ab indignis, ut excipiunt nonnulli ambitiosi, sed etiam à dignis, & sancti Gregorii similibus. Itaque liber hic non est vanitatis fœtus, sed debitum necessitatis, opus charitatis, quod ausim nominare armamentarium Prælatorum Pastorumque, ubi ingens reconditur apparatus instrumentorum omnium ad curam animarum quæ faciunt. Ritus, rubricas, ceremonias explicent alii: hic vera Pastorum officia continet. Idem tractaverat argumentum sanctus Augustinus in libro de Pastoribus, quem multis generalibus monitis veritatibusque aspersit. Sanctus Bernardus etiam in libro de Consideratione ad Eugenium, Pontifices audacter admonet, sed Romanos. At sanctus Gregorius Pastorum curam in minutas partes dissecans, & per mille occasiones discurrens, ad praxim veluti manu ducit singulos, excepto nemine. Hi tres sanctissimi, alter Abbas, alter Episcopus, alter Pontifex Summus, una voce, uno spiritu, ex Evangelii legibus, dominationem Pastorum abominantur, ministerium indicunt, non qualecumque, sed humile, providum, circumspectum, ardens, &c. Hinc noster in epistolis Episcopos compellat quasi Fratres, Episcopatum unum innuens cuius à quolibet partes in solidum administrantur. Vix se præfert aliis, nisi quos crimen subijcit. Demonstrat quàm latè patere debeat Pastorum charitas, ut sin-

Præfatio.

gulos complectatur; quàm prudens esse, ut cujusque genio, statui, gradui, infirmitati, dignitati sese aptet, conformet, accommodet, formas se vertat in omnes, non simulatè quidem, non assentatoriè, non veteratoriè, sed benignè, humiliter, amanter, verè ex animo, ut matres, nutrices: sed & graviter, accuratè, severè, cum auctoritate, ut patres, si quando opus est. Quantum putas ab officio aberrant, quibus solemne est austeritatem potentiamque ostentare adversus inferiores, Clericos, laicos, magnates colere, plebeios negligere? Vidi ego, vidi oculis hisce meis virum prudentem, doctum, bene moratum, à Pontifice suo cum honore reverentiaque excipi solitum, tribus post mensibus curâ animarum susceptâ quâ dignus erat, vix tamen ad colloquia admissum, sed durè habitum & neglectum, quasi cura parœciali viluisset, sorduisset, nec jam fratris, sed mancipii loco habendus foret impostherum. Crescere dicebantur olim Clerici, cum augebantur in Presbyterio, ordine, officio, dignitate: nunc decrescunt. O mores evangelicos! O Christianam politicem! Legant sanctum Gregorium l. 4. ep. 10. 56. l. 5. ep. 25. 42. l. 7. Ind. 1. ep. 8.

Subjicimus Homilias in Ezechielem quas ad populum habuerat, licet Homilia in Ezechielem. afflictus morbis, negotiis distractus, bellis obsessus. Nec enim prædicandi vacationem sibi faciliè permitttere possunt Episcopi, munusque istud eorum præcipuum, aliis demandare, cuilibet transeunti prostituendo cathedram. Quis sanæ mentis excusantem nauclerum audiat, qui navem commissam, alteri commendaverit gubernandam? aut quis pictorem habeat purgatum, qui tabellam de qua pingenda pactus fueras, alterius artificis manu figuraverit? Ut illorum, ita & Pastorum eligitur industria; ipsi per se ministerio verbi instare debent, aut cedere: *Non est æquum, derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis*, vacare litibus, aulam sectari, res temporales gerere. Parvuli petunt panem, Pastor frangat eis: pater filios verbi pabulo nutriat; non arcessat mercenarios, qui vicariam operam locent: *O Pastor & idolum*, inquebat Propheta Zacharias c. 11. vers. Et verò non erubescunt, muti cum sint & esse velint, inferioribus suis illud sancti Pauli ingerere: *Va mihi si non evangelizavero*; necessitas enim mihi incumbit. Diceret Poëta:

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.

Vitium oculorum imprudenter objicit, qui nemefim in dorso portat, aiebat Leo Byzantius. Sed à diverticulo in viam sanctus Gregorius Deo docente persuasus verba Pastoris proprii plus prodesse fidelibus, numine juvante, incrementumque dante, Homilias primùm ex scripto recitabat exemplo veterum: tum expertus vivam loquentis vocem magis afficere, memoriter dicere constituit, perfecitque.

Annexuimus 40. Homilias in Evangelia, quas Secundino Tauromin. Homilia in Evangelia. miserat. Quin permultæ aliæ perierint, nullus dubito. Solebant enim veteres Pontifices sui memores officii, post lectionem sacrorum in Ecclesia librorum, statim diebus & fere singulis, quando synaxis erat, expositionem textus subjicere pro tempore & loco & auditorum captu. Verba autem quandoque excipiebant Notarii, aut expositor ipse, quando suppetebat orium, dicta stylo mandabat, & cum amicis communicabat. Norunt docti, quænam fuerit ars Notarum præpetum, quam dolent miserè excidisse, nullumque reperiri qui exsuscitet. Porro istarum Homiliarum formam intueri possent Pastores quique, & facili labore sequi. Facilem dico laborem, quia nec memoriter plurima ediscenda sunt, nec oratorum artes explicandæ; nec Rhetorum figuris insudandum. Partes

Præfatio.

Evangelii præcipuas percurrit; nunc hanc, nunc illam urget, prout censerit plebi fore commodius. Moralem docet puram, vividam, Christianam, non vanam, non insipidam, non philosophicam. Fundamenta religionis eruit, exponit, illustrat, quæ vulgò prætereunt concionatores, & ad Catechistas relegant quasi doctrinam puerorum, & infantilis ætatis rudimenta. Hinc oblivio religionis, fidei ignoratio, morum calamitas. Historias, non tamen fabulas, quandoque intermiscet, ut divinas populis attemperet veritates, quemadmodum Christus parabolis usus est. Scholasticas subtilitates, cogitationes argutulas, acutulas, (subtilis texturæ ingenia vocabat Lipsius) quibus nostri declamatores, adulterantes verbum Dei, fucum faciunt, ut fautorum turbam sibi concilient, aut non agnovit sanctus Gregorius, aut sprevit: quàm sint nullius utilitatis, ipsa concinatorum vita, & auditorum vitia in dies pullulantia indicant satis superque. Quàm foret utilius, sacras Scripturas meditari, quas digererent, effunderent; sanctissimorum Patrum scriptis inhærere, quibus saginata mens eructaret verba bona! non longas dico Patrum periodos, sed expressum sententiarum sensum verbis quemque suis. Id Lectorem nostrum admonitum de industria volui, quoniam ex sancto Augustino in has Homilias, ut & in cætera sancti Gregorii opera, confluxerunt pleraque tacito auctoris nomine. Nunc nobis similia tentantibus, imponerent plagii pudorem critici rigidiores: at non ita ferebat usus meliorum temporum. Editæ quævis opera, manuscripti Codices semel emissi, publici juris fiebant: è fontibus autem publicis haurit quisque impune quod libet, suoque parat usui. Sic ex Tertulliano Cyprianus, ex Basilio Ambrosius, ex Gregorio Nazianzeno Hieronymus, Joannes Climacus, ex aliis alii Patres mella sua conficiebant. In summa, veritas, Dei donum est hominum communitati provisum, utilitati concessum, quod sibi velle quisque potest, alteri numquam licet invidere. Quid verò habet Christiana religio, quod non fuerit verbo scriptove traditum? An singuli qui præcesserunt, testes producendi sunt, ne plagiarii audiamus? Absurdum tot onerare libros citationibus, nisi specialis cujusdam quæstionis ratio tantam cautionem deposcat, ut aliquando adversus Donatistas sancto Augustino visum est. Transmissam ad nos ab Apostolis per intermedia sæcula veritatem fatemur ultrò: quis jure exprobrat? At forè cujusque auctoris excerpta producere singillatim oportuerat quoquo modo confuta vel assuta, aut deinceps posita? Ita nonnullis placet. Aliter tamen visum est sanctissimis Patribus, qui veritates ab aliis acceptas digerebant, in propriam quasi substantiam convertebant, deinde suo more, suo stylo efferebant non tam suas quàm Ecclesiæ proprias, Patrumque suorum hereditatem incorruptam. Nec verò longè petenda sunt exempla, cum suprà demonstraverintus quàm bene sibi convenient in multis doctrinæ capitibus Augustinus, Gregorius, Bernardus: nec tamen admoneant quo auctore profecerint. Hæc de primo tomo.

Tomus secundus. In secundo volumine edimus Dialogos, Epistolas, Antiphonarium, Sacramentarium.

Dialogi. Dialogos sancto Gregorio asseruimus multis argumentis in speciali Præfatione. Auctorem nonnulli accusant nimis & quasi infantilis credulitatis, quasi sublimem, erectum, solidum, illuminatum animum minus deceat istis narratiunculis aurem accommodare, fidem habere, auctoritatem dare. Hanc ego exprobrationem nonnullis exceptionibus depello. i. Haud inficiamur quasdam narrationes potuisse aliunde irrepere, nec probatas Gregorio, nec lectas: istiusmodi opera facile est crescere, fontem exhibeo

Præfatio.

qualem reperi; non præsto illimem. Illi aut exprobrare cessent, aut demonstrent turbidum. 2. Quæ ab aliis accepta refert, non obtrudit quasi certa, sed lectori permittit iudicium. 3. Quò quisque sanctior, eò melius intelligit quanta sit Dei potentia, quanta virtus fidei: eas in angustum cogere non sustinet pietas, solet temeritas. 4. Ex S. Greg. Nazianz. generosa pectora de miraculis minùs dubitant. 5. Sanctus Augustinus mendaciorum fabellarumque, si quis alius, osor, similia multa commemorat, nec de veritate diffidit. 6. Aiebat Plancus credulitatem in optimi cujusque mentem facile irrepere, nec tam culpam esse quàm errorem. Erraverit fortè, aut deceptus in aliquo fuerit Gregorius; at pietatis error est, quam non decet in istiusmodi factis tam esse anxiam. Error est, qui præter voluntatem accidit, qui nocet nemini. Legant sanctum Augustinum l. de utilitate credendi c. 11. 12. & 16. tum intelligent nequidem istiusmodi errores si qui sunt, dici posse errores. Aliud quippe est opinari, aliud credere: hoc humanum, illud turpe. Qui opinatur, putat se scire: potest is credere, qui se nescire intelligit an sint narrationes veræ.

Epistolæ Dialogos excipiunt. Regestum sive Registrum vulgò vocant, ^{Epistolæ} id est, rerum à sancto Gregorio gestarum indices, monumenta. Siquidem eruditus solemnè est sanctorum Patrum quàm maximè versare epistolas, unde eruant cujusque auctoris ingenii dotes, morum imagines, prudentiæ nervos, disciplinam Ecclesiæ, historiam temporum, nodosarum questionum solutionem, officia intercurrentia eorum quibuscum consuetudinem habebant. Id omne verò cumulatè dant sancti Gregorii Epistolæ. Vim dexteritatemque ingenii quis non deprehendat in istis expressas tabulis, solertiam, robur animi, demissionem Christianam, zelum, cæterasque virtutes? Quàntùm laborat pro retinenda asserendaque disciplina, quasi nefas fuerit dispensare, canonibusque solvere? Non ostentat potestatem, non laxat habenas voluntati, ut quidquid liber liceat. Infractum animum sola inclinabat utilitas evidens Ecclesiæ, aut urgens cogebat necessitas. Noverat qua data occasione rigor ille foret remittendus paterna concessione, non proculcando regulas, sed reducendo inflectendoque paulisper, prudentis oculatæque charitatis arbitrio. Ut jus summum summa quandoque est injuria, ita relaxationes imprudentes disciplinam evertunt, subruunt, pessumdant. Utrumque aliquot exemplis illustremus. Adversus vocem œcumenici Episcopi suo sensu intellectam, canones & usum Ecclesiæ non cessat opponere. Episcopos neophytos iisdem tormentis arietat, nec ulli facit gratiam, eadem adversus illos argumenta proferens, quæ sanctus Gregorius Nazianz. in Monodia præformaverat, quasi ex eo totidem verbis desumpserit. Digamum fortiter repulit, rogante licèt Brunehilde Regina, nec aliam causam obtendit præter Canones. Quàm sunt ab illo mutati Pontifices, qui digamos aliosque non paucos contradicentibus canonibus, de potestatis plenitudine consecrant! Pro œconomia sive dispensatione asserenda placet intueri qua mente Mauricii de Monachis legem receperit, transmisit, promulgavit. Quo consilio Maximum Salonitanum tandem admiserit. De causa trium capitulorum quare Theodolindæ molestus non fuerit, quæ quintæ Synodo subscribere renuebat, suo docens exemplo, non temere cogendos fideles jurare in facta quædam à Conciliis etiam generalibus definita. Ingeniosa charitas, quæ patres filiis bene consultum volunt, istiusmodi temperamenta invenit, suggerit, interponit, compatientis affectu, quem dominationis fastus excludit. Fuit autem sanctus Gregorius alienissimus à fastu, qui magnarum dignitatum tinea est, assecla, appendix; vel, si

Præfatio.

mavis, morbus Præpositorum intercus. Cum Episcopis Coepiscopus, cum Presbyteris compresbyter, cum ministris comminister, cum filiis pater erat. Nulla res fuit, nulla persona, quæ ad ejus curam non pertineret, ut suprâ diximus: cum unoquoque literas communicabat; Episcopos admonerat officii, Clericos obsequii, Monachos & Monastrias distractionis regularis. Principes ut bene justeque præessent hortabatur, subditos ne essent impatientes jugi; afflictis solatium, egenis alimentum, vestitum, pecuniam, fundos præbet. Oculis cæco, pes claudis, &c. Sed quid molior? quasi verò paucis paginis tot tantaque coercere possim, quæ suis in Epistolis per tredecim annos & sex menses consignavit, aut τὸ κελὸν πρὸς Ἰλιάδην per Regestum sparsam nuce concludere. Itaque ad alia prope-
randum. Sed prius evellendus est scrupulus, quem nonnulli objiciunt, contententes S. Gregorium in hoc opere non satis sibi constituisse. Verbi gratiâ docet, inquit, lapsos non posse ad ordinem redire; docet posse. Docet discreta esse Clericorum Monachorumque officia; docet uniri posse. Docet Monachos esse Episcopis subjectos; alibi eximit à subjectione. Docet Principibus jus non esse de Ecclesiasticis rebus decernendi; alibi jussiones Mauricii de Episcoporum ordinationibus eorumque indicibus, justas nominat. Hæc de pluribus protulisse sufficiat, ex quorum solutione patebit quo modo similes objectiones diffuari queant. Primò arguatoribus istis legendum dico Quintilianum institutionum oratoriarum l. 7. c. 7. ubi de legibus contrariis differens ait, numquam esse legem legi contrariam jure ipso: quia si diversum jus esset, alterum altero abrogaretur: sed eas casu collidi & eventu. 2. Dico subtiliter esse distinguendum, an sanctus Gregorius ex lege, an ex Episcopice decernat dispensetve. Canones constanter exequitur, nisi tempestas obstet, urgente ratio cogat connivere, aut aliò clavum detorquere. 3. Lapsos non passus est ad ordines redire. De epistola ad Secundinum dictum est in Notis. 4. De discretis Clericorum & Monachorum officiis stat semper eadem sancto Gregorio sententia; ita tamen ut Monachis liceat esse Diaconis & Presbyteris in suo monasterio; iisdem etiam liceat Episcopo vocante, Abbate consentiente, in Clerum allegi, monasterio relicto: Clericis vice versa liceat in monasteriis profiteri depositâ clericali militiâ: immo lapsis Saturnino Presbytero & abdicato commendantur monasteria, vel potius eorum cura committitur, ne de hodiernis Commendis me loqui putent. Sanctum verò Gregorium univisse disparata Clerici Monachique officia nusquam reperio, nisi quis fortè libri 3. epistola 18. velit pro jure primitivorum Curatorum abuti, de quo tanto Pontifici nihil unquam in mentem venit. 5. Totus est Gregorius in asserendis juribus Episcoporum; ergo non suffodit: sed dispensatoriè canones interpretatur & œconomicè, Monachos non ab Episcopis, sed à jugo dominationis Episcopalis aliquantisper eximens causis legitimis cogentibus, ut superius admonui. 6. De Principibus in Notis dictum, nec iterare opus est.

Epistolas continuò sequitur Index à Cardinali Caraffa compositus ingeniosè admodum, & Canonistarum methodo convenienter. Lapsus est, cum pro lapsis ad ordinem revocandis citat epistolam ad Secundinum.

Antiphonarius & Sacramentarium.

Adjunximus Antiphonarium & Sacramentarium, quæ duo opera sancto Gregorio tribui solent, propterea quòd ea jusserit sub incudem revocari, digeri, ordinari, quemadmodum in utriusque limine præfati sumus. In votis fuerat Hugonis Menardi Commentarium eximium, quo Sacramentarium illustravit, adnectere, at moles obstitit voluminis. Notas dumtaxat

Præfatio.

taxat apposuimus Angeli Rocca, breves eas quidem, & jam posterioribus editionibus insertas.

Benedictionale quo præcedentes editiones carebant, in hunc locum Benedictionale. eò coniecimus, quod mysticarum precum pars esse aliqua videatur. Cæterum istam Benedictionum collectionem apud Lambecium reperi, quam se dicit ex manuscripto Bibliothecæ Imperatoris desumpsisse prænotatam *Benedictionale sancti Gregorii*. Pamelius jampridem ediderat separatim. Menardus etiam Benedictiones Sacramentario inseruerat eo Liturgiæ loco, in quo recitari solebant. Adverte tamen hæc tria Benedictionalia, sicut & pleraque alia in manuscriptis Bibliothecis hæcenus latitantia, ideo minùs inter se convenire, quòd unaquæque provincia peculiare sibi habeat ritus, favente antiquitate, annuente etiam Concilio Tridentino: immo quisque Episcopus, postquam Synodi provinciales cessarunt, novas in dies mutat ac inducit prout suggerunt inspirantque Capellani. Factum indico: libros officiales consule, docebunt. An jure, an injuria fiant leviter istiusmodi mutationes, inquirent docti.

In tertium tomum coniecimus opera quædam sancto Gregorio adscri- Tomus tertius. pta, quorum veteres non meminere; nempe Commentarium in librum Regum, in Cantica, in septem Psal. Pœnit. Suis autem locis explicavimus Comm. in libros Regum, in Cantica, in 7. Pl. Pœnit. quibus momentis persuasi fœtus istos sancto Gregorio adjudicaverimus: lector consulat.

Prædictis adjacet opus sancti Paterii de locis Scripturæ sacræ per libros Paterius. sancti Gregorii sparsis & explanatis. Adjecimus autem tum Collectoris canos reveriti, tum ne quis morosus quereretur omissum, quod præstiores editiones adjecerant.

Tandem duos Indices apposuimus: unum materiæ, & eum quidem Indices duo. copiosissimum & accuratissimâ diligentia confectum: alterum locorum sacræ Scripturæ. Opus quidem sancti Paterii materias præcipuas generaliter attingit. At nostri Indices nihil fere intactum relinquunt, sive circa materias ipsas quas minutim distribuimus, perspicuitatisque gratiâ varias in classes distinximus; sive circa vocabula quæ disciplinæ Ecclesiasticæ quidpiam efferunt, quæ viros insignes designant, quæ regiones, provincias, urbes, insulas, aliave Geographici aut Chronologici instituti documenta continent ac resignant.

Supereff ut de iis dicamus qui de sancto Gregorio scripserunt anti- Qui de S. Gregorio scripserunt. quitus.

Ac primùm Gregorius Turonensis æqualis sancti Gregorii I. necnon venerabilis Beda centum annis & quod excurrit sancto Gregorio junior, primi de eo scripserunt, non accuratè singula, sed præcipua quædam ad aliam historiam attinentia quam meditabantur. Paulus Diaconus Aquileiensis circa finem septimi sæculi vitam sancti Gregorii dicitur aggressus esse primus totam scribere. Joannes Mabillonus testis est recens tom. I. Actorum Sanctorum Ordinis sancti Benedicti, fidemque facit duobus argumentis. 1. Quia Joannes Diaconus l. 4. vitæ sancti Gregorii c. 99. fragmentum refert istius vitæ, quasi sit Pauli Diaconi; verba sunt: *Cujus nimirum venerabile meritum quousque mundi hujus orbita volvitur, (ut cum Paulo viro disertissimo fatear) semper accipiet incrementum, &c.* 2. Quia repererit Conchis manuscriptum, cujus hic titulus: *Vita sancti Gregorii Papæ urbis Romæ edita à Paulo Diacono Casinensi Monacho*. Istis adductis argumentis Mabillonus eam proposuit, quasi certò fuerit Pauli Diaconi. Nec tamen desunt in contrarium argumenta, quæ partim subijcere visum est, ut censeas. 1. Omnes quotquot videre licuit istius vitæ manuscriptos, quotquot

S. Greg. Tom. I.

Præfatio.

etiam memorat Bollandus ad sancti Gregorii vitam die 12. Martii, quotquot Canisius tomo 6. antiq. lect. vidit; hunc præ se ferunt titulum: *Vita sancti Gregorii auctore incerto*; vel absolute: *Vita sancti Gregorii*. 2. Idem in impressis observo, ut in edit. Veneta an. 1504. Paris. 1508. & pluribus aliis. 3. Dubitant, an titulus manuscripti Conchenfis eadem fuerit manu exaratus, qua reliquus codex. 4. Injicit religionem quòd ad finem vitæ sic loquatur auctor: *Id quod scribimus, à fideli & religioso viro & huic Patri nostro sanctissimo pro suæ religionis & utilitatis merito valde familiarissimo, fideliter post obitum ejus nobis narratum didicimus*, &c. Ex quibus verbis non malè concluditur, Paulum Diaconum qui an. 801. obiit, alium esse ab auctore qui quæ refert ab eo didicerat, quo sanctus Gregorius familiarissimè fuerat usus dum viveret, quibus verbis Petrum Diaconum, ni fallor, intelligit. Itaque probabilius videtur, vitam à Paulo Diacono scriptam periisse, hanc anonymi scriptoris antiquiorem perdurasse, eique per incuriam aut ignorantiam inserta fuisse verba quorum suprà meminimus: *Cæterum quamdiu*, &c. Nec verò desunt alia momenta, quibus Critici conjecturam Mabillonii infirmant, quæ nos omittimus. Velim autem sciant vitam hanc manuscriptam incerti auctoris, in omnibus propè codicibus mss. variare quandoque leviter, quandoque graviter, ut etiam de suis mss. Canisius testis est. Cæterum ante Mabillonum Garetius Canonicus sancti Augustini Lovan. in libro impresso Parisiis an 1562. *De vera presentia corporis Christi in Sacramento Eucharistia*, class. 6. profert testimonium è vita sancti Gregorii his verbis: *Aliud testimonium ex Paulo Diacono: Mater familias quadam nobilis*, &c.

Joannes Diaconus Ecclesiæ Romanæ, post medium noni sæculi, jubente summo Pontifice Joanne VIII. vitam sancti Gregorii stylo diffusiori scribere iterum aggressus est ex monumentis quæ vel in scriniis sanctæ Romanæ Ecclesiæ servabantur, vel extabant alibi. Bellarminus in lib. de Scriptoribus Eccl. eam laudat quasi scriptam accuratissimè. Baronius autem tom. 8. Annal. negat fuisse accurate scriptam, eamque cogitur subinde castigare virgulâ censoriâ. Nunc de diversis editionibus operum sancti Gregorii nonnulla dicenda sunt.

Editiones
variz ope-
rum sancti
Gregorii.

In Bibliotheca Regia occurrit vetus editio *Moralium* semissibus foliis; (vocant *in folio*) Romæ apud sanctum Marcum anno à Nativitate Domini & eodem Jubilæo 1475. mense Septembri, sedente Sixto IV. Pontifice Max. Pontificatus ejus anno 5. Operi præfixa est Dominici Brixienfis Præfatio, quam ut non inutilem ante librum *Moralium* edendam curavimus. Hanc editionem primam fuisse reor, nisi alia appareat, quæ huc usque latuerit, fueritque Dominico Brixienfi ignota, qui quidem secundum Ughellum obiit an. 1478.

Dialogi editi sunt Parisiis operâ Udalrici Gering & Bertholdi Rembolt sociorum in vico Sorbonico ad intersignium solis aurei an. 1494. die verò 6. Martii, ut habetur ad calcem istius editionis, hi duo viri magni nominis, dicuntur ex primis Parisiis arte typographica libros edidisse, Sorbonamque instituisse heredem ex asse: in cujus facello veteri eorum corpora terræ mandata sunt; Sociique Sorbonici quotannis statis diebus justa illis persolvunt, defunctorum animis bene precantes.

Expositio in Cantica prodiit in lucem Parisiis an. 1498. ex officina eorundem Gering & Rembolt.

Homiliæ in Evangelia editæ sunt Parisiis ad solem aureum vici Sorbonici, operâ M. Georgii Volf Badenensis, an. Domini nonagesimo primo supra millesimum quaterque centesimum.

Præfatio.

Homilia in Ezechielem impressæ sunt Parisiis per Gering & Rembolt an. 1502.

Epistolæ Venetiis primùm editæ sunt an. 1504. per Lazarum Soardum, tum Parisiis an. 1508. per Udalrichum Gering.

Commentarius in septem Psalmos Pœnitentiales excusus est Parisiis typis Magistri Bertholdi Rembolt an. 1512.

Commentarius in librum primum Regum editus est Venetiis an. 1537.

Pastoralis liber videtur fuisse editus ante alia opera, qualis extat in Bibliotheca Regia sine nomine editoris, sine anni designatione. De quo ita censuit Gabriel Naudæus earum rerum experientissimus, censura illius propria manu exaratâ in primo libri folio:

LECTORI GABRIEL NAUDÆUS.

*Spectandæ vetustatis monumentum hoc affirmo tibi, benevole lector, ex eorum esse numero, quæ à Joanne Fausto, rudibus adhuc chalcographiæ ab eo primùm inventæ, & Moguntia exculcæ incrementis, aut veriùs tentamentis prodierunt, ut ex inculto caractere eoque nondum suis diphthongis instructo, & ex paginis sibi invicem malè coherentibus liquet. Quoniam verò artem hanc penes se tantum esse volebat, nomen propterea suum minimè apposuit, ac ne quidem loci aut temporis signa nota cuiquam esse voluit, donec instructâ tandem officinâ seu librariâ, seu chalcographicâ, & ejusmodi tentamentis factus audacior, Durantum de ritibus Ecclesiasticis anno 1459. Catholiconem 1460. & Biblia 1462. publicæ commoditati venalia exhibuit. Per Catholiconem innuit Dictionarium an. 1460. editum, cujus exemplum vidi apud Dominicanos Paris. in vico sancti Honorati. Nam verò Naudæi conjecturam adjuvat figura primæ literæ dictionis Johannem, (scilicet in fine libri ubi habetur: *Explicit liber regulæ Past. &c. ad Johannem Rav. &c.*) sub qua videtur Joannes Faustus primus Chalcographus suum occultasse nomen: atque idcirco Naudæus illi duos hosce versus subjecit:*

*Hic duo, si nescis, vitulinæ gloria frontis,
Sculpta Moguntinum demonstrant cornua Faustum.*

GABR. NAUDÆUS.

Cuncta simul opera primò impressa sunt Parisiis apud Joannem Parvum & Bertholdum Rembolt, viâ Jacobââ, sub lilio aureo, an. 1518. scilicet Moraliam, Pastoralem, Dialogi, Commentarius in Cantica, in 7. Psal. Pœnit. Homilia in Ezechielem, in Evangelia, & Epistolæ. Postea Rotomagi expensis Francisci Regnaud Bibliopolæ an. 1521. Parisiis apud Claudium Chevalon 1523. Lugduni in duobus tomis in fol. 1539. & 1540. addito Commentario in libros Regum. Parisiis apud Carolum Guillart 1542. Secutæ sunt plures aliæ editiones, Basileæ, Duaci, &c. Earum omnium emendatissimam sensim Romanam in 8°. an. 1613. quam & secuti sumus, nisi quando errata ex manuscriptorum collatione deprehendimus, quorum manuscriptorum catalogum ne nescias, seorsum infra edimus.

Fuit autem, præ cæteris sancti Gregorii operibus, Registrum depravatissimum, non imperitiâ tantum Librariorum fortuitâ, sed maximè audaciâ sciolorum, qui de industria quoslibet auctores miserè corrumpunt, vel ut eos suis placitis attemperent, vel quia phrasim mentemve auctorum non assequentes, erubescunt suam fateri cæcitatem. Vetus querela est eruditorum, quam post tot scriptores iterum habere nolo, ne actum agam contradicente parcemia, τὸ ἀεὶ καὶ μὴ ἀεὶ. Videtis eruditissimum Rigaltium in Præfatione sui Tertulliani adversus istiusmodi correctores ve-

Præfatio.

hementissimè commotum. Subrifi, fateor, ad hæc ejus verba: *Neque ulla spes reducendæ unquam veritatis, nisi tam veteres libros nanciscamur ut sint omni correctorum antiquitate superiores.* Agnosco rationem istam emendandi fore optimam. At, si vivo auctore, fallantur ejus opera, aut inemendata produnt, quo, mi Rigalti, deprehendes argumento librum, quem aliunde constaret esse auctori cœvum, esse etiam omni correctorum aut corruptorum antiquitate superiorem? Non longè peto exemplum. Gregorius ipse in epistolis de suis scriptis adulteratis, aut aliâ quàm velit formâ editis, aut de alienis sibi affectis, vel admonet serîd, vel conqueritur. Quis nescit auctores ipsos suis in scriptis, quæ retractant, mutare, configere, addere, detrahere? Itaque ne ex autographo quidem emendare extra omne periculum est. Id si serîd attenderent Critici, alias fortassè vias emendandi tentarent. Nos tritam secuti, manuscriptos plurimos excussimus, contulimus: viros eruditos, si quid obscurius, si quid perplexius visum est, consulimus. Et quidem præ cæteris Eminentissimus Cardinalis Bona conatus nostros jovit officiosissimè, missis excerptis manuscriptorum Romanorum, ad rem nostram quæ faciebant; sed & communicato exemplo collationis quatuor aut quinque mss. Vaticanorum, super toto Registro sancti Gregorii factæ an. 1600. quod quidem opus tantum nobis lucis attulit, tantum utilitatis, ut id summi beneficii loco ponamus. Emendationum autem causas in Notis exposuimus, quas lector consules, & cum ex illis, tum ex eo quod in capite Notarum præfati sumus, intelliges omnem præstiti à nobis officii rationem. Et quoniam tibi laboravimus, nostris tu laboribus sine labore utere, frueri. Thesaurus est quem offerimus. Non thesaurus nivis aut grandinis, Job. 38. non thesaurus iniquitatis, Mich. 6. non thesaurus Ægyptiorum, Hebr. 11. non thesaurus malus, Luc. 6. sed thesaurus Sanctorum, Paralip. 26. thesaurus sapientiæ, Eccli. 1. thesaurus bonus, Luc. 6. Fons etiam est, quem purgavimus à cœno, à limo librariorum. Non fons sine aqua, 2. Petr. 2. non fons draconis, 2. Esdr. 2. non fons pede turbatus, Proverb. 25. aquas emittens turbidas, Jer. 2. fons fellis, Jerem. 8. sed fons sapientiæ, fons Jacob, fons vitæ, fons Salvatoris, ex quo hauriuntur aquæ in gaudio. Inde tibi sanam de moribus doctrinam providebis, Christianique pectoris charitatem puram. Nec errorem illi, nec huic immistam reperies cupiditatem. Securus reconde, securus bibito. Tot tibi damus adpromissores, quot Patres; tot sponsores, quot Sanctos veneramur. Non aliam Gregorius, aliam isti docuere, aliam iniere viam. Ecclesiæ quoque si cupis nosse disciplinam, sanctissimum Pontificem, Petri successorem, Christi Vicarium tutò consules. Docebunt Epistolæ quanta canonibus reverentia debeatur, quàm sit necessarius eorum usus, quàm periculosa remissio: siquidem nervi sunt, ex quorum laxatione sequitur funesta paralytis, malum immedicabile. Alias si quæris utilitatem, accede, inspice: aut illas profectò aut alias non minoris pretii reportabis. Reportabis, inquam, si diligens fueris inquisitor, si attentus: fastidiosum, oscitantem nolo. Bibe aut abi.

